



BIBLIOTEKA


Zakł. Nar. im. Ossolińskich

XVII

438







# HONOS PATERNVS,

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI  
REGNI POLONIÆ SENATORI, AC REVE-  
RENDISS. ANTISTITI ET DOMINO, D. IOANNI  
DEMETRIO SOLIKOWSKI, DEI GRATIA  
ARCHIEPISCOPO LEOPOLIENSI;

A suo Monasterio Sieciechouensi reuerenter &  
perquam honorificè

## HABITVS.



*Et à Sebastiano Acerno Sulimiriceñ, Consule  
Lublineñ, conscriptus.*

Si Pater ego sum, vbi est honor meus? Si Dominus ego  
sum, vbi est timor meus? MALACH. 1.

CRACOVIAE,

In Officina Iacobi Sibeneycher, Anno Domini

1602.

7.315

**RELIGIOSO IN CHRISTO PA-**  
**TRI F. MELCHIORI KRZEMIENSKI, PRI-**  
**ori Monasterii Sieciechouiensis, atq; adeò toti Con-**  
**uentui eiusdem loci, Salutem in Dño IESV.**

**GLEBA ISTA AGRI SATIS, VT SCIS, LABORIOSI ET IN-**  
Grati, cum quo ego parua cum utilitate, non sine quorundam inuidia luctor, coegerit me  
Reuerendi Patres, vt sim gratior erga Dominum meum, quam ipse fundis erga me. Quam-  
uis enim mihi obtigit locus non satis uber: satis tamen, vt mea fert sententia, studiis nostris  
commodus; utinamq; satis tranquillus ac tutus. Venturus ad nos est primo quoq; tempore,  
vir illustri loco natus, Illustrissimus ac Reuerendissimus Antistes IOANNES DEMETRIVS  
SOLIKOWSKI DEI GRATIA ARCHIEPISCOPVS LEOPOLIENSIS &c. non decet  
nos esse mutos, inter tot gratulatores, nefas est vacuis manibus occurrere: cum ceteri ma-  
nus habeant occupatas in aggerendis Domino suo munusculis. Hanc igitur oratiunculam,  
cui nomen est HONORI PATERNO Conuentus nomine scripsi inter plurimas occupatio-  
nes meas, quibus assidue distrahor, vt sit animi nostri testis erga tantum virum; apud quem  
præstat me esse Gratosum, quam vel mille Diplomatis communitionem. Sicut ergo nullus illus-  
trissimum olim Dominum, Dominum Cardinalem Locordinarium nostrum Cracoviensem, facun-  
da, vt audio, fauorabiliq; oratione excepisti, Diis (vt aiunt) hominibusq; plaudentibus: ita  
quoq; amabo te, apud Illustrissimum & Reuerendissimum Dominum, Dominum Archiepisco-  
pum nostrum, in primis infantiam istam nostram excusabis: deinde xeniolum vel potius offe-  
rentis voluntatem aliquot verbis ornare ne graueris. Vale. Lublini XVI. Calend. Aprilis,  
Anno M. DC. I.

Sebastianus Acerinus Sulimiricen.  
Consul Lublinen.



XVII - 438 - III

# HONOS PATERNVS.



ON PARVM MVLTA SVNT HONO-  
rum ac dignitatum nomina & gradus, Illu-  
strissime & Reuerendissime Antistes, IO-  
ANNES DEMETRI SOLIKOWSKI, ME-  
TROPOLITANE LEOPOLIENSIS; que  
partim authoritatis, partim potentiae, par-  
tim virtutis praeferunt sumam opinionem: & quae non  
temere, neque assentandi studio, neque ambitionis vani-  
tate, Diis & hominibus imposuit antiquitas: illa inquam  
antiquitas, quae sobria, quae sedata, quae ab omni ambitu  
remotissima fuit. Sed ut mihi quidem videtur, ista nomi-  
na tituliq;, hominum ortibus, vitis & functionibus con-  
gruentes, propter duas maximè causas, & à bonis candi-  
disq; ciuib; imposta, à clarissimis viris libenter agnita,  
patienter tollerata, & amico silentio gratóq; assensu, ap-  
probata sunt. Primam causam esse suspicor, vt illustres ex-  
cellentésq; viri discant & cogitent, se non iacere conie-  
ctos in sentinam & aphyam istam pigræ imperitæq; mul-  
titudinis: sed se cœlesti consilio & ope, vi Diuinæ bene-  
dictionis & clementiae, virtutis meritorumque summa  
existimatione, & legitimæ concionis bonorum virorum  
testimonio, excitos & erectos esse supra hominē, & pro-  
piùs accessisse ad DEVm. Idq; non in gratiā humanæ im-  
potentiae & ambitionis, non propter fastum, non propter  
admirationem plebeculæ, vt splendor & fortuna cu-  
iusquam ostentui haberetur; sed vt caput honoratū, quo-  
tidie

tidie reminisceretur officii vocationisq; suæ; & id esse cōtendat, quod vocari libenter audit. Secunda verò causa est: ut iij. qui subesse & imperata facere debent, vel in aliqua parte obedientiæ sunt obstricti, admoneantur humilitatis, obseruantia, gratitudinisque erga nouum principem & magistratum. Pulcra sunt ista Illuſtrissime & Reuerendissime Præſul, & re & ſpecie grata; non potest enim natura ſui obliuisci. Per paucos inuenias ita Philoſophos, quin illos obleget honorum noua titillatio. Morbus hic eſt ingenii humani, qui diſſimulari potest, non tolli, viuitque ſub nube ſeu eritatis, & ſub humilitatis palliolo delitescit. Naturalis eſt iſta gloriæ ſitis: ſic pauones expadunt pennas admiratorem naſti: ſic plauſu ac popiſmatis delectantur & excitantur equi: ſic pueri & puellæ commouentur præconioliſ parentum, preſertim, qui liberaliſ ſunt ingenio. Hæc peſtis ex amore ſui profecta, nobiſcum adoleſcit, niſi vera illa & C H R I S T I A N A humilitate temperetur. Inde ſunt Romani illi prenſatores & candidati, qui Comitia Curiata, cum ingenti ſpe & maximo metu, expectaban; tauramq; & aleam popularem, diuersis ac miris artibus captabant aucupabanturq;, iam Ædilitates, iam Censuras, iam Præturas, iam Tribunatus, iam Prouincias & Romanæ dignitatis ampliſſimum culmen Consulatus. Etiſi hoc aſſequi non licebat: ſaltē Pedanei Iudices, & Patres Minorum Gentium, creari legiq; cupiebant. Et quam magno deſiderio ambirent: facile demonstrabat repulſarum pudor ac triftitia. Putabant enim ſe neglectos eſſe à Diis & ab amicis, & inimicorum ludibrio

Iudibrio relictos, qui spe frustrabantur, & honoris ineundi, & capessendi magistratus. Regii nominis amplitudo & sublimitas, quamuis iam pridem apud Romanos mundi victores inuisa fuit, & paulatim abolescebat, qui Regulos plerumque, quam Reges appellitare malleant, gentium & populorum opulentorum Reges: tamē à plerisq; fœdis etiam conditionibus impetrata & retenta est, adulazione obsequiōue tantūm non seruili. Cui em̄ qui aliquid legit, non contemnenda, imò non ridicula videtur esse imago illa parum sibi constantis animi? Rex inquam Bitiniæ Prussias, amicus Populi Romani, qui cum Nicomedे filio Romam venit adulatum potius, quam gratulatum. Et cùm Populus Romanus captis triumphatisq; Gentio Illyriorum, & Perseo Macedonum Regibus, cœpit esse valde formidolosus vniuerso terrarum orbi, & auderet iam virga, quasi circino quodam Magico, circumducere & circumscribere mundi Monarchs: venit Prussias cum filio, ac Deos qui Vrbem Romam incolebant, Senatūmq; & Populum Romanum salutatum se dixit venisse. Pileatus & capite raso Legatis Romanis obtulam ire solebat, libertum se Populi Romani ferens. Romæ quoq; cùm venisset in Curiam, submisisse se, & osculo limen Curiæ contigisse, & Deos seruatores suos Senatum appellasse dicitur. Quis igitur ad tantas fordes demisit Regem? Quæ causa eum coëgit, ut Deorum Fortunæq; Prænestinæ tam abiectus assentator esset? Nempe timor adimendi auferendiq; regni. Prætimuit enim potentiam Romanam simul & Fortunæ inconstantiam: cùm vi-

deret Reges catenatos duci in triumpho, & florentissima  
Regna, Macedoniam, Epirum & Illyricum accessisse Ro-  
mano imperio. Palpatur ergo mudi viatori populo: mul-  
cet Fortunam, quasi rerum & actionum humanaarum gu-  
bernatrixem: ut sibi & filio, proprium perpetuumq; re-  
gnum sit, & salua maiestas, nullo fortunæ vento demin-  
uta. Sicut enim honorificum iudicabat; esse, appellari,  
salutaríq; Regem: ita deforme miserabiléq; putabat, abi-  
re regno, cadere maiestate, iacere & ad æqualitatem ciuiū  
suorū recidere, fieríq; domi suę, vel paruū vel adeò nullū.  
**Hinc** ille quoq; Ciceronis querelæ, dum Thessalonicae  
exularet, Consulatu, Ciuitate, domo, libertatéq; motus  
& proscriptus. Ecquis (inquit) vñquam ex tam ampio  
statu, in tam bona causa, tantis facultatibus ingenii, con-  
cilia, gratiæ, tantis præsidiis bonorum omnium concidit?  
Possum obliuisci qui fuerim, non sentire qui sim? quo  
caream honore? qua gloria? quibus liberis? quibus fortu-  
nis? His etenim destitutus Cicero, vitam sibi insuauem  
putat, ideóq; sibi tenebras, ideóq; solitudinem cariorem  
esse. Odi enim (inquit) celebritatem, fugio homines,  
lucem adspicere nō possum. Hi sunt animi, hæ sunt voces  
hominum, quos sua fortuna deiecit, & quos suus dolor  
ac mœror absorpsit. Quos aduersa sors ita debilitauit, vt  
iuuare prodesseq; non possint: & ita exaculeauit, vt mor-  
dere, noceréq; frustra cupiant. Hæc est ambitio filiorum  
huius sæculi: hæ sunt animarum perturbationes, qui pro-  
pterea excellere volunt, vt magnificè audiant & emine-  
ant, & metuantur. Paucos enim reperias, qui amari dili-  
giq;

giq; velint. Quotus enim quisq; est inter eos qui modò  
viuunt homines; qui paternitatis, bonitatis, humanitatis  
& caritatis nomen malit; quam splendoris atq; potentiae?  
Quis vir est excellens, qui sibi tribui aliquid videt, &  
quem vetus popularis affluit, qui non precupiat appellari  
Dominus quam Pater? Quæ fæmina potens & Illu-  
stris est, quam non pudeat dulcis & amantissimi nominis  
materni? Quin et matronæ & aniculæ ditiores erubescunt,  
si quis eas matres dixerit: putant enim eo vocabulo sene-  
ctutem sibi & mendicitatem exprobrari: ita, ut benefi-  
cæ potius appellari patientur, quam matres: adeo corru-  
pta sunt mortalium iudicia & mores. O venerabile nomē  
paternum, ubi est dignitas tua? ubiq; est naturæ priuilegium?  
ubi est coiunctio fœdūsq; caritatis? O Gratia nominis  
materni, ubi sunt elogia tua? Honora PATREM & MATREM.  
Ergo fons omnis honoris ortum habet à parentibus. Si  
non fuisset Pater, nō esset posteritas, non esset authoritas,  
non essent merita, non essent tot honorum discrimina,  
non essent ulli gradus dignitatis: Quis enim haberet ho-  
norem? aut cui? aut propter quid? prius enim opus est ut  
vieuamus: deinde ut esset qui cum viuamus: tandem quo  
numero, quo gradu, & quo precio simus. Qui prior est  
tempore, potior est & iure. Quid autem prius est Paterni-  
tate? Quid honore & veneratione dignius? Sunt tamen &  
fuerunt multi, qui malunt id quod est natura posterius,  
quam illud, quod est natura prius. Malunt esse vocariq;  
Domini, tyranni, reges, quam Patres. Superbia vicit extin-  
xitq; caritatem. Omnes Regna, omnes Dominatum, multi

Diuini-

Diuinitatem & Maiestates meditantur. Minaces esse vol-  
lumus, & potentes, & metuendi. Miracula spectaculaq;  
hominum potius esse affectamus, quam pia & amabilia  
exempla dilectionis Christianæ. Ergo Paternum nomen  
iam penes solum DEVVM remansit: Materno nomine Eccle-  
sia sola Catholica & Apostolica non verecundatur. Solus  
DEVS est, per quem omnis paternitas nominatur in cœlo  
& in terra: sola Ecclesia mater est pulcræ dilectionis, in  
qua sunt multa spiritualia paternitatis, & ut ita dicam  
maternitatis & cognationis discrimina. Nam & qui ba-  
ptizat, Pater est: generat eñ, vel potius regenerat, per la-  
uacrum τὸν παλιγγενέστως, & renouationis Spiritus San-  
cti. Et qui offert obiicitq; infantem vel catechumenum  
baptizandum, Pater est, & vas, & sponsor, intercedens  
pro eo qui baptizatur, & verbis conceptis, praeunte ver-  
ba sacerdote, satisdat. Et ea foemina quæ administra est  
Sacramenti, applicatq; puerum ad fontem Sacrum, suo  
modo mater est: auget enim numerum filiorum DEI. Iste  
ergo sunt, non natura parentes: sed ministerio, sed fide,  
sed coniunctione caritatis: pariuntq; non ex sanguinibus,  
neq; ex voluntate viri & carnis: sed natos & procreatōs  
ex DEO. Deinde qui docent erudiuntq; puerum in vera  
receptaq; fide Catholica, non minus parentes sunt; nam  
filium Ecclesiæ nouum & alumnum fidei, quasi palmi-  
tem nouellum, qui non ita pridem in CHRISTVM est insi-  
tus, nec dum bene coaluit; rigant, educat, & ferum emor-  
tuumq; corticem, glubunt ac purgant, ipsamq; plantam  
in obliquum deflectere vetant; sed ut recta in sublime  
tendat

7

tendat & assurgat, diligenter absuefaciunt. Mox etiam illi qui de loco superiore concionantur, parentis quoque vices obeunt, & iam non lacte, sed solidiore cibo reficiunt adultos: ut non tantum crescant, sed etiam operentur in domo DEI, & fructum afferant in patientia, & sicut vites in vineis & oleæ in hortis DOMINI, & oliuetis, multa vindemia & opima oleitate, respondeant votis cœlestis agricultoræ; & sicut feraces agri, collocupletent horrea summi patris familiæ, magna copia rei frumentariae. Porro, qui sacrum conuiuum procurant: qui parant epulas: qui stragulis adornant mensas: qui conuiuas inuitant: qui vietas conscientiasque eorum excutiunt, & quasi in balneo spirituali fordes eliunt, ne temere veniant hospites: ne pannosi deformesque accumbant: ne conspectum hospitis inuitatoris offendat, sumouendi eiiciendiisque de conuiuio: sed ut bene compti & bene vestiti gratique ingrediantur cœnaculum DOMINI: certè optimorum ac sanctissimorum paratum loco habendi sunt isti. Nam & veræ nobis beatitudinis iuge triclinium aperiunt, & viam rectam ostendunt ac muniunt, quæ itur ad epulas cœlestes, & leges conuiuii symposiique semper nobis ob oculos ponunt: ne excidamus conuiuio; sed ut perpetuo fruamur. Ipsi denique, quod sumum & maximum est, cibos nobis & alimenta sacra sancta, suis manibus præbent, ad æternam salutem, & ad spiritus pinguedinem. Hæc inquam est vera paternitas, quæ producit nunquam morituros, gignit filios ad æternitatem, procreat fælicitati, parat immortalitati, subducit iræ DEI, imponit in arcam Noë. Quæ

ducit ad portū, quæ purgat à peste & ab infectione totius generis humani, quæ manumittit à seruitute, excitat à somno, confirmat in periculis, & ab æternæ mortis capitali sententia vindicat. Natiuitas enim secundum carnem, non tām procreat, quām exponit homines omnibus quotquot sunt calamitatibus & miseriis: ut prius incipient nati infantes vagire, quām lactere: & magnam ætatis partem exigant in somno, & vinculis, & sordibus, & vagitibus, & eiulatibus: indeq; per varias fortunæ fatorumq; salebras, ad mortis extremam necessitatem peruenitur. Patris Adæ natiuitas ista est; non de hac nobis est sermo: de illa nos differimus, quæ ex aqua & Spiritu Sancto propagatur, & per quam efficimur gratiæ, non iræ filii. O ineffabili nexu coniuncta cœlestis agnatio, quibus te laudibus veham? quibus ornabo titulis? quo dicendi charactere tollam? quæ tibi regna conferam? quos honorum ventos? Omnia vincis caritate: omnia tuo desyderio antecellis: omnes amores & ignes longo post te relinquis interuallo. Ergo nihil paterno nomine suauius, nihil melius, nihil naturalius. Nam licet de ciuili humanaq; Paternitate loquar: Pater est author familiæ, columen domus, generis humani & Reipub: pro parte sua propagator & vindex, afferens naturam ab interitu, educator liberorum, exemplar morum, distributtor operum, patrimonii conseruator & præsidium rei familiaris, author & conciliator caritatis. Qui si diues est, ornamentum est liberis suis: si pauper, solarium: si bonus, desyderium: si malus, (quamvis malum appellare

late parentem , religio est ) præmium & corona patientiæ est: si sapiens, præceptor & exemplū: si fatuus, piæ dissimulationis occasio. Pater est quasi sol domesticus & priuatus Monarcha, vnicè diligendus & obseruandus. Patrem qui non amat, monstrum est non homo , imò ne animal quidem: videmus enim etiam brutis insitum esse, vt obseruent parentes : & si non vera & rationali caritate: tamen spe pabuli, & quadam quasi opinione prouidentiæ. Qui nō amat parentem, furiosus est: exutus omni humanitate: insuendus in culeum & abiiciendus in profluentem. Qui non amat patrem, fera est; imò viperæ est: ideo nascens , vt pereat mater : ideo viuens vt parentes priùs enecti , quām visi desinant viuire: quemadmodum veteres, (neoterici enim aliter sentiunt) de viperarum ortu & crediderunt, & prodiderūt. Patrem qui non amat; negat principia, & generis, & caritatis humanæ: contrauenit D E O: tollit naturæ legem: cum hoc ego disputare non laboro ; ad hos redeo , qui sensum humanitatis nondum amiserunt: qui generis ortusq; sui non sunt obliti. Primum autem de iis dico , in quorum auribus , vox Diuina non personuit: qui non audiuerunt, non dico Moisen , sed ne de Moise quidem: qui non viderunt C H R I S T U M D O M I N I . Non enim defuerunt apud Ethnicos δι φιλοπάτωρες καὶ φιλομήτορες naturalis est ista Philostorgia. Inde illa magna vis amoris in Vlysse, dum primum cōspicaretur parentem, quem toto decennio non viderat : excusset enim ipsa natura facrymas etiam nolenti ac dissimulanti filio : Sic em̄ Homēr.

Gestierant animi, per nares acre cucurrit.

Robur: dum cari conspicerat ora parentis.

Oscula dat pia, circumfusus brachia collo.

Conspexit enim patris in reduce filio, excitauit motū cordis subitum ac violentum: qui versus in fumum & amabilem quandam cordis amaritudinem, delatusq; ad extremas nares, commouet, elicitq; scaturiginem lacrimarum, ex subita lāetitia manantem: quam ne sapiens quidem & militariter educatus vir, tenere potuit, quin rueret in complexum carissimi parentis. Sic Æneas etiam apud inferos, agnoscit umbram patris optatisimi: accurrit, prensat, & multo fletu gaudioq; prosequitur, in hunc ferē modum:

Sic memorans, largo fletu simul ora rigabat,

Ter conatus ibi collo dare brachia circūm:

Ter frustra comprehensa, manus effugit imago.

Inde orta sunt illa pia cumprimis & salutaria præcepta, vt illud sacri Poëtē Phocylidis Milesii, qui sic orditur sua præcepta de Religione, hoc est de Pietate erga Deum & Parentes.

Principio venerare Deum, tandemq; parentes.

Et illud Aristotelis, qui solo Deo excepto, Parentes primo loco & Præceptores ponit. Et alibi. Differre excellereq; patrē dicit omnibus aliis, quotquot sunt mortalibus, magnitudine beneficiorū: & quod est longè prestati us; quia Pater est cuiq; suis: αὕτη Θεός ενωτική τροφής, καὶ πάσι μέσας: causa, inquit, est filio; vt sit, vt alatur, vt erudiatur. id est; Pater est author liberis suis, vt nascātur & sint in natura

cūra numeroq; rerum : vt benē commodeq; viuant. Ci-  
bus enim pertinet simpliciter ad vitam : eruditio verò  
ad beatam vitam. Sed huiusmodi sapientum vocibus, re-  
ferta sunt omnia veterum iuniorumq; scripta. Si verò  
Sacri codicis testimonia per uolutare vellem, dies me de-  
ficeret ; & priùs rauim contraherem dicendo , & aures  
tuas occupatas orationis tædio defatigarem, quām eam  
rem, quæ in confessio est sanis omnibus, percensere. Quid  
enim refert commemorare P A T R E M illum, illum an-  
te omnem memoriam & ante homines natos primum  
& antiquissimum; totius familiæ nostræ, generis, nomi-  
nis, & sanguinis humani prosemnatorem? Quid alium  
Patrem & Genearcham, à quo profecta sunt absorpti, or-  
bi, exhausti q; mundi supplementa? à quo gentium po-  
pulorumq; tyrocinia nata propagataq; sunt? à quo pla-  
cati numinis cum vniuerso hominum semine foedus est  
ictum , & cœlestis arcus æterno iureiurando firmatum?  
à quo terrarum, agrorum, vrbiuumq; squalor & solitu-  
do, nouis cultoribus est exornata , cæpitq; indies ma-  
gis ac magis frequentari? à quo introducti sunt, & in  
possessionem totius continentis & insularum, missi tres  
illi Sem, Cham, & Iaphet, filii; tanquam Romani illi Tri-  
umuiri: penes quos deducendarum Coloniarum & legis  
Agrariæ ius & potestas erat. Quid verò attinet referre  
tres alios Patres, & maximos, & sanctissimos , qui velut  
alii Triumuiri deduxerūt nouam coloniam Dei , propa-  
gaueruntq; familiam I E S V C H R I S T I filii Dauid , filii  
Abraam? Ex horum enim sacris comitib; texebatur



series & filum, siue illa quam vocant, linea sanguinis  
egregii lectissimiq; ac ducebatur per tres Tessaradecades  
patrum & abauorum C H R I S T I, secundum carnem.  
Primæ Tessaradecadi præfuit Abraam, secundæ Dauid  
Rex, tertiæ verò Ieconias vsq; ad natalem eiusdem  
C H R I S T I Domini & assertoris nostri, qui est nouæ pa-  
ternitatis & agnationis author, Pater futuri seculi, & Prin-  
ceps pacis; & quo dignus non est is, qui plùs illo diligit  
patrem & matrem. Ille enim & pater vnum sunt, & in  
hoc solo clamamus A B B A P A T E R, & ex quo omnis Pa-  
ternitas in cœlo & in terra nominatur. Ex cuius sanguine  
profluxit, ex cuius latere profluit, ex cuius corde  
emicuit noua Eua, nouum coniugium, noua sponsa, no-  
uum puerperium, noua progenies. Ideò transfixus pro  
nobis, & vulneratus, & cruentatus dicit ad sponsam: Ve-  
ni dilecta mea, in foraminibus petræ, in cauerna mace-  
riæ: vt intelligamus; quibus nuptiis, quo patre, quæve  
matre simus procreati. Nempe C H R I S T V s dedit nobis  
potestatem filios D E I fieri, qui credimus in nomine eius.  
Et ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam Prophetas,  
alios verò Euangelistas, alios autem Pastores ac Docto-  
res, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii,  
in ædificationem corporis C H R I S T I, donec occurra-  
mus omnes, in unitatem fidei & agnitionem filii D E I, in  
virum perfectum. Sed Ecclesia vnica sponsa C H R I S T I,  
& vnica mater nostra, quæ os suum aperit sapientiæ, &  
lex clementiæ in lingua eius; quæ consyderat semitas  
domus suæ, & panem otiosa non comedit. Ita distinxit

ordines

ordines & officia in amplissimis ædibus suis, ita instruxit  
 castrorum suorum aciem ordinatam: ut unusquisq; in  
 ordine, in statione, & in vestigio suo maneat, & impera-  
 ta faciat, militans in his terris: & palmam coronamq;  
 suam consequatur in cœlo triumphas. Sed prius, à victo-  
 re immortaliq; cœtu, capiamus exordium. In cœlo qui-  
 dem, vbi perpetuus triumphus agitur, stat à dextris Bea-  
 tissima & Virgo, & Mater, & Regina, in vestitu deaura-  
 to, superauitq; gladium doloris, qui gloriofissimam a-  
 nimam eius traiecerat, ineffabiliq; gaudio fruitur per  
 infinitas & incircumscriptas æternitates. Ipsaque tri-  
 umphatrix & sancta D E I Genitrix, & Sancta Virgo virgi-  
 num, perpetuo Panegyrico salutatur. Quin etiam salu-  
 tatur ~~κεχαριτωμένη~~, id est: Tota quanta quanta est, nihil  
 nisi Gratia est. Quid ni? Quia gratiæ Authore impletur,  
 & ita quidem impletur: ut sit Gratia plena, ac refertissi-  
 ma. Non sicut Eua plena temulentaq; Furiis. Nam bac-  
 chatur Caimo prægnans, & authore tyrannorum graui-  
 da, fert uterum homicida fœtum, maledictione distentū,  
 sanguine fraterno contaminatum, spontaneo exilio in-  
 famem. At Maria Mater gratiæ ~~κεχαριτωμένη~~, C H R I S T O  
 Beatissima illa sarcina prægnans. Caimus erat furiosus,  
 cuius facies concidit præ inuidia & odio fratris. Item sem-  
 per pauebat, pallebat, tremebat atq; perpetuò trepidaba-  
 bat: item continuus tremor fuit signum formidinis, & se-  
 cum rixantis conscientiæ. At C H R I S T V S fuit princeps  
 pacis, lenis & mansuetus, Speciosus forma præ filiis ho-  
 minum, in cuius labiis diffusa est gratia. Ipsa est ~~χάρις~~  
nostra,

nostra, quia vtero ferebat plenum gratia & veritate. Et si quid vsquam gratiarum & charismatum reperitur: totum illius est, quem illa ferebat, & qui in illa totus habitauit. Adstant etiam secundo loco velut Prætorii milites Dei Sabbaoth, inuictissimi Spiritus, & iuges insomnesq; legiones ætherei cœlestis que exercitus, & hymnum gloriæ magni Dei, suavi & concordi reiteratione, concinunt & integrant, non sine liberali & amico tremore, & adoratione Diuinæ reuerentia plena. Ibi quoq; letatur veneranda Patriarcharum canicies, immortali pollens authoritate, multis agminibus filiorū & filiarum stipata, & fælicissimos oculos in Deum defixa. Ibi sanctissimus inter filios mulierum, index & Baptista IESV CHRISTI de Virgine nati, monitor & præceptor pœnitentiæ, IOANNES. Ibi sunt illi duodecim Legati & caduceatores fidei tesseræq; Christianæ, magni q; iudices duodecim tribuū Israëlis. Inter quos eminent quatuor scribæ Sancti Evangelii, quibus Tablinum & Archiuum salutis nostræ con creditū est: & penes quos actorum CHRISTI & nostræ religionis in columis fides permanet. At verò, quis non admiretur vagientem & impollutam infantiam, & masculos innocentes, æquales coætaneosq; CHRISTI de MARIA nati? Quis non audiè spectet sanguinem insontem lacti materno permistum? agnos immolatos agno, puræq; victimæ puram victimam? Hi sunt tyrones æternaq; supplementa victoriæ cœlestis, & inseparabiles agni comites. Post hos etiam sunt valdè conspicui, roseo sanguine rubefacti & purpurati martyres adulti. id est; irre futat-

15

futabiles & irredarguti testes, qui constans veritati fi-  
deiq; Christianæ testimonium perhibuerunt: & lingua,  
& tormentorum cruciatuumq; diuturna perpetione,  
& sanguine, demūm & vita: Quam fidem præstiterunt  
**CHRISTO**, tam viri quām fœminæ, pars triumphi cœlestis  
pulcerrima & admirabilis; trabeis & stolis albis induiti,  
capitibus coronas perpetuò virentes, & manibus insi-  
gnia constantiæ suæ argumenta circumferentes. His ad-  
de beatos **CHRISRI** satellites & præcōnes; Doctores in-  
quam, Episcopos, Monachos & Eremitas: quorum cor-  
da eructauerunt verbum bonum, dixerūntq; opera sua  
**Regi**. Quorum lingua sicut calamus scribæ velociter  
scribentis, confessa est confessionem magnam; & qui,  
cūm potuissent transgredi, non sunt transgressi: facere  
mala, & non fecerunt: qui se castrauerunt propter Re-  
gnum **DEI**: qui inuenti sunt sine macula, & post au-  
rum non abierunt: qui fecerunt res admirabiles in vita  
sua: qui animo, lingua, stylo & moribus; boni & conti-  
nentes, carnem suam crucifixerunt cum **CHRISTO**. Sed  
hīc quoq; visuntur, Illustrium Fœminarum chori; ea-  
rum cum primis, quæ propter amorem **CHRISTI**, per-  
petua se virginitate damnauerunt, à nuptiis & viris ab-  
horrentes; dixerūntq; mūdo & lasciuæ iuuentuti: CON-  
DITIONE TUA NON VTAR. Nupsi meliori. Paraui lucernam  
**CHRISTO** meo. Sponsalia contracta sunt, cū specioso for-  
ma præ filiis hominum, in cuius labiis gratia diffusa est:  
valete spōsi, valete procī Penelopes: obligauit me **CHRIS-**  
**TVS** arrha perpetua; intercessit annulus & corona sponsi

C

dignio-

dignioris, cui regnum mundi & omnem ornatum secu-  
li posthabui. Agnum sequor; nihil est mihi cum gregi-  
bus hircorum malè olientium: valeant lusus: valeant io-  
ci: valeant sciti, compti, delicati, facetiq; cœtus, missam  
facite sponsam Regis: de alio corpore triumphate. O  
sanctissima, puræ indeflorataq; virginitatis agmina. O  
ver odoratum castitatis æternæ. Nulla te metet ætas,  
nullus te carpet autumnus, nulla te coquet aut enecabit  
hyems, nulla tempestas affliget, nullaque ætatis iniu-  
ria conficiet. Perpetuò florebis, perpetuum spirabis o-  
dorem, perpetuò inter rosas & lilia spaciabere: perpetuò  
Regem sponsum intuebere, cum illo te perpetuò oble-  
ctabis. Hactenùs de virginibus, & quas castus innocue  
virginitatis sanguis purpurauit. Sequitur viduarum &  
matronarum glorioſus exercitus, exempla continen-  
tiæ, manus eleemosynarum largitrices, linguae mœsto-  
rum consolatrices, pedes Ecclesiarum frequentato-  
res, fœminæ sanctæ, matres orphanorum, sacerdotum  
nutrices, ministræ pauperum, visitatrices infirmorum,  
corda Deo deuota, vala timoris D O M I N I , lampades  
misericordiæ, coronæ virorum, educatrices liberorum,  
quæ per generationem filiorum saluatæ sunt, mulieres  
fortes, procul & de vltimis finibus pretium illarum. De-  
niq; sequitur populus, & Respublica cœlestis turbáque  
magna, quam nemo dinumerare potest ex omnibus gen-  
tibus, tribubus & linguis collecta: quæ sempiterna vo-  
ce suclamat AGNO aperienti librum vitæ, senioribusq;  
dicens: AMEN. Hi sunt illi fortissimi triumphatores &

periodo

17

periodo victores, qui superauerunt magnos cruciatum;  
& abluerunt suas togas, ac dealbauerunt eas agni san-  
guine. Ideò comparent ante solium Dei, & ministrant  
ei noctes atque dies in templo eius. Et ille qui sedet in  
solio, nunquam eis non erit præsens, & neque eos ine-  
dia, neq; sitis afficiet in posterum, neq; illos aduret Sol,  
neq; vllus æstus; quoniam agnus in medio solio sedens,  
reget illos, & deducet eos ad venam aquarum vitalium.  
Et absterget D E V S omnes lacrymarum guttas, ab o-  
culis & genis eorum. Et hæc ferè sunt, quæ pertinent  
ad cælestem illam Hierarchiam, & Senatum Populumq;  
superne Hierusalem, victoria potitæ; & ad illas animas,  
quibus meritò dici possunt illa: vel his similia quæ Po-  
ëta dixit:

*V*iuite felices, quibus est fortuna peracta

*Iam sua: Nos alia ex aliis infata vocamur.*

Hæc sunt quæ pertinent ad Magistratum, & ad Paterni-  
tatem illam, quæ est in ciuitate DEI, & in ciuitate DO-  
MINI VIRTUTVM. Redeamus deinceps ad Ecclesiam, quæ  
in his terris, quasi non domi; sed militiæ forisq; viuit.  
Stat in acie terrestris quoque naualisq; miles: delectus  
indicuntur; contrahuntur copiæ: conscribitur exerci-  
tus: terra mariq; trepidatur: certamen oritur: eminus te-  
la congeruntur: signis cominus & viribus collatis con-  
fligitur: vtrinq; manu feroq; cernitur. Hic boni impe-  
ratores, in parte præcipua laboris & periculi versantur,  
& milites suos cohortantur. Ignauí verò terga vertunt;  
alii vincunt: alii verò pigriores ea patiuntur, quæ vi-

Etis accidere solent. Quis ergo præest his copiis? cuius auspiciis hæc res geritur? cuius imperio paretur? quis regit? quis animat? quis prælium restituit? quis pugnam senescentem redintegrat? Profectò non temerè vagatur miles: non quisq; sibi dux & author est: non, quod in tumultu fieri solet, delectus extra ordinem indicuntur: Sunt in Ecclesia, sunt in ista expeditione Imperatores: sunt Tribuni militū: est equitatus: est & peditatus: sunt centuriones: sunt decuriones: sunt veterani: sunt quoq; tyrones: sunt procursatores, & velites, & lixæ, calonésq; deterrima belli colluuius. Et quod maximum est; sunt **CASTRA**: victori receptaculum, victo perfugium, patria altera militaris, hęc sedes, vallumq; pro mœnibus, & tentorium suum cuiq; domus ac penates sunt. Est præterea Ecclesia Dei Sabaoth, terribilis, sicut castrorum acies ordinata: in eo præsertim negocio, in eo bello, vbi non est colluctatio aduersus carnem & sanguinem; sed aduersus Principes & potestates, aduersus mundi rectores nebebrarum harum, contra spiritualia nequitia in cœlestibus. Hic mundus, est sedes belli: hic descenditur in æquum & in arenam, & in ea quæ vulgo vocantur torneamenta. Hoc bellum consciuit, & nunquam consciere desinit caro nostra, familiaris proditor, domesticus hostis & perduellio. In nobis ipsis est ista seditio carnis, aduersus spiritum. Intra nos est ista pestis, hoc disfidium, hæc struma ciuitatis; cuius author & concitor est Diabolus, id est calumniator, delator & infernalis ille syphophanta. Bellum geritur cum Sathanā, cum Gæniis ne-

quam

19

quam, cum portis inferorum, cum spiritibus malis;  
quorum si fugatur vnuſ; redit in certamen, cum accessio-  
ne virium, assumptis & adiunctis sibi, septem aliis spi-  
ritibus multò nequioribus. Et ita restituitur, pugna  
quotidiana iugéq; certamen. Hic ergo nobis Dux & Au-  
thor opus est, si legitimè pugnare, & nō tumultuari, ne-  
que aërem verberare volumus. Adeſt igitur in Ecclesia  
DEI, Primatus Beati Cephæ, inuictissimi Petri : qui ca-  
dendi, surgendi, iterumq; pugnandi & vincendi, trium-  
phandiq; nobis, & præceptor, & pater, & exemplum est.  
Qui non modò septies in die: sed septuagies septies con-  
grediendi cum hoste, monitor & author est. Vehemens  
enī hostis est ira: At qui remittit offensā proximo; toties,  
quoties illi forte bilem mouerit: magnum certè trium-  
phum triumphauit. In Sede & Cathedra PETRI, semper  
est vnuſ Primas, in Oſili CHRISTIVNO, semper est vnuſ  
Pastor: in familia Christiana, & in domo Dei, semper  
est vnuſ Paterfamilias. Pro caſtris Ecclesiæ, semper est  
vnuſ Imperator & Consul, cui ex fortitione Prouincia-  
rum, vt Romani loquebantur ( *κλῆρος* enim appellatur  
ſors & regimen ſpirituale ) obtigit, & vrbana admini-  
ſtratio, & illa Prouincia, in qua eſt ſedes belli. Et ille eſt  
ſummo totius Christianitatis consenuſ, Summus PON-  
TIFEX R O M A N V S. Constituentis enim eſt vniuſ prin-  
cipatus in Ecclesiastica Hierarchia, & non plurium.  
Nam vt inquit ille:

*Non eſt bona rerum  
Summa penes multos: Ergo caput imperet vnuſ.*

Est enim in Ecclesia Dei sub uno CHRISTO, & super vnam Petram, Pastor pastorū, & Pater patruim, & rectorum Rector supremus & unus: non tamen solus. Non esset enim Pastor pastorum, nisi alios pastores pasceret, eorumq; pascua, & mores, & oves interuiseret. Non esset Pater patrum, nisi alios, affectu non sanguine, patres institueret, eorumq; caritatem & solicitudinem erga filios exploraret. Non esset rectorum Rector: nisi alios regentes regeret, de eorumque administratione cognosceret. Ille enim est qui aliquando conuersus confirmat fratres. Unus ergo; non solus tamen: sed cū aliis, & per alios, regit universitatem CHRISTI fidelium; quem iure optimo, & Beatissimum, & Sanctissimum Patrem appellamus, & ad pedes Beatitudinis & Sanctitatis eius, aduoluimus & accidimus, eosq; cum summa veneratione deosculamur. O quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. CHRISTVS lauit Iudeæ plagiarij proditorisq; sui, & osculatus est, si non pedes; at certè labia fraudulenta & insidiosa: nos pedes CHRISTI in seruo eius & Patre totius Ecclesiæ, non osculabimur. Maria Magdalena lacrymis abluit & abstersit capillis, & vnguento delibutos, identidem dissuauata est: nos pedes IESV in summo eius Pontifice, osculo non dignabimur? Maria mater nostri seruatoris, pedes unigeniti sui emortuos, & frigidos, atq; clavis transfixos exosculatur, & lacrymis maternis affatim rigat: nos pollutissimis labiis, pedes nostri redemptoris non attingemus in Vicario: & vt ita barbarè, ve  
rè tamen

rē tamen & bona venia culminis Apostolici dicam, in  
Plenipotente eius? Quid ni faciamus? C H R I S T V S D O -  
M I N I est, summus Apostolus est in hac vita: P E T R V S  
est; pro quo & pro cuius fide, fide illa immobili & pla-  
ne laxe, & Marpesia, mundi seruator pro nobis cruci-  
fixus, ardenter & enixè orauit P A T R E M , ne deficiat vn-  
quam. Pro quo, Petro inquam, supplicauit æterno  
Parenti, ne cribraretur, & non excidat per incernicula  
Sathanæ: & ne ventilabro infernali iactata confessio  
eius, cadat inter paleas & quisquilias horrei Dominici;  
sed vt inter selectissima grana, præcedat paleas citrè re-  
manentes, & ab aduerso vento reiectas. Huius manum  
tenuit, ne summergetetur in mari: Hunc per Genium  
suum eduxit de carceribus & catenis, ne morte eius He-  
rodes adularetur Iudeis; & ne rumorū spectaculorumq;  
audium vulgus, pasceret impurissimos, Principis Apo-  
stolorum suppicio, oculos. Nos vt par est, gratias agi-  
mus omnipotenti D E O ; quod Te nobis incolumem &  
quasi rediuium restituerit. Sed de summo Patre & Pa-  
store admonuisse, satis esto. Cui præstò & ad latus est,  
lectissimus sacrosanctusq; Senatus, negotiorum fidei,  
& Rei Christianæ Curia; sunt Illustrissimi Principes &  
& Presbyteri, in quibus vertitur cardo sanctæ Romanae  
Ecclesiæ: sunt Patriarchæ: sunt Archiepiscopi: sunt Epi-  
scopi: sunt Abbates & Sacerdotum atq; Monachorum  
venerandus & religiosus ordo. Et hīc se iam nobis ape-  
rit campus, explicandæ laudandeq; functionis, & Pater-  
ni HONORIS T VI : quandoquidem ad eum gradum  
perueni-

peruenimus, dum Ecclesiasticam Hierarchiam percurrimus, & quasi carptim attingimus: in quo TV REVERENDISSIME PRESVL ET ABBAS PIENTISSIME, multa nobis vigilantiæ virtutisq; Tvæ documenta dedisti, ac datus es, si DEV S voluerit, multò plurima. Adeptus es em̄ tua mirifica pietate & insignibus meritis, in Ecclesia DEI nomen PATERVM, nomen dulce: nomen caritatis & authoritatis plenum: nempè ARCHI-EPISCOPVS & ABBAS. Quorum alterum Præfectum Inspectorum significat; alterum verò PATREM. Alterum est pietatis; alterum vigilantiæ, Factus es pater duorum fratrum, videlicet Esau & Jacob. Factus es Pater duarum sororum, Marthæ & Mariæ. Quorsum hæc? Nempè factus es Parens duarum Gentium, duarum familiarum, duarū vitarum. Altera familia TVA versatur in seculo: altera in Cœlo, Altera TVA classis remigat in mari: altera, iuxta prouerbiū: IN PORTV NAVIGAT. Præfecit te Diuina prouidentia duabus hominum vitis: alteri quidē actiuæ; alteri speculatiuæ. Sunt tibi filii spirituales gemelli, ex vna matre & ex uno puerperio nati: Sed intentione, moribus & professione dissimiles ac diuersi. Est qui primus egressus est rufus, & in morem pellis hispidus, vocatūmq; est nomen eius Esau. Est etiā alter protinus egrediens, & plantam fratri manutenens; & idcirco appellatur Jacob. Oule enim tuum, quod pascis in mundo, varias & multiplices habet oues. Nam vita Politica, quæ & Secularis dicitur, varios habet ciues, varia ingenia & mores versipelles, & colorem rufum, sicut

27

sicut de Esau dicitur: id est, animos & cogitationes ver-  
sus. Ita enim filii seculi prudentiores sunt, Domino-  
teste. Sed alterū ouile tuū, quod est, vel certè debet esse  
extrā hunc mundum, id est: vmbra ista Monastica, quę  
se mundo renunciasse profitetur, habet omninoq; ha-  
bere debet Iacobos tenentes plantam fratris; id est: ho-  
mines ea religione, ea constantia: vt & alios doceant  
manere in officio & vocatione sua, & ipsi pedem in vna  
fede & quasi in vestigio ita figant: vt vagari discurreréq;  
desinant. Iuxta illud: Sedebit solitarius & tacebit. quod  
idem est ac si dicat: Sedebit Monachus. Nam solita-  
rius Græcis est σωτέρων: si enim sedebit, ergo non dis-  
curret neque fluctuabit. Cauere enim oportet Mona-  
chos, ne sint tales, quales Regula Sancti BENEDICTI vocat  
Gyrovagos. Et sicut præcipit sapiens: Ne sint illis cre-  
aturæ DEI in temptationem, & in muscipulam pedibus il-  
lorum. Cæterùm factus est Esau, vir gnarus venandi &  
homo agricola: Iacob autem vir simplex, habitauit in  
tabernaculis. Habes in sæculo multa millia laicorum,  
qui cum Esau feras agitant & rusticantur: habes nobi-  
les viros, armis & venabulis intentos: habes & ciues, qui  
mercaturæ lucrisq; sunt addicti: habes & agricultas, in  
terra colenda pascendisq; pecoribus occupatos. Sunt  
in seculari libertate & in domibus regum, qui mollibus  
induuntur: qui tanquam Esau pilosi sunt: qui voluptati  
se dediderunt. Sicut enim Ana nepos Esau, inuenit a-  
quas calidas in solitudine cùm pasceret asinas Sebeon  
patris sui; Hus autem & Aram fuerunt Duces horreorū:

itū inter viros seculares, præsertim in ciuitatibus. & in  
domibus opulentis sunt, qui circa horrea occupantur,  
qui aceruos humorum & frugum congerunt. Et vbi a-  
bundauerint opes, sunt qui aquas calidas querant, hoc  
est: qui sectentur voluptates, & corpori cuticulae; in-  
dulgeant, & asinas patris sui pascant: hoc est; in otio, pi-  
gritia & luxu viuunt, indulgentes Genio. His omnibus  
rebus abundat mundus, horum omnium copia est in fa-  
milia & posteritate Esau. Sed Iacob est vir simplex, & ha-  
bitat in tabernaculis. Det omnipotens D E V S , vt nos  
quoq; , qui in istis latebris, in his tabernaculis Iacob de-  
litescimus, simplicitatē quoq; illius imitemur. Habita-  
mus in his castris & papilionibus D O M I N I ; vt ināmq;  
ita habitemus in his castris, vt strenuos C H R I S T I mili-  
tes decet; & ne nos attingant seculi contagia, ne cupia-  
mus redire in Ægyptum recordati ceparum & alliorū .  
Et cùm iam D e o adiuuāte superauerimus mare rubrū .  
demerserimusq; hostem persequentem; ne amplius ad  
spiremus ad Pharaonem, ad Nilum, ad crocodilos, ad  
monstra, ad muscas & ad ranas, & ad Angelum percusso-  
rem, & ad mortes hominum & pecorum, ad figlinas,  
ad opus latericum; & ad sœuissimos exactores, operum  
præfectos. Bonum est nos h̄c esse: bonum est nos imi-  
tari in isto monte D O M I N I disciplinam Mosis: Heliæ  
seueritatem: bonum est transfigurati I E S U C H R I S T I  
gloriam contemplari, & niueum candorem, & solare iu-  
bar faciei speculari: bonum est adhærere Patri Basilio:  
bonum est merere sub Patre B E N E D I C T O : bonum est  
sub

75

Sub TE ARCHIEPISCOPO & ABBATE stipendia facere.  
Primogenita comparamus cuim Iacob; nolumus indul-  
gere ventri & palato cum Esau: valeat voluptas, valeat  
mundus cum suis lauticiis, valeat pulmentū cum cōcti  
one hac rufa, pro qua cōmutauit Esau prērogatiuam su-  
ām & ius primogeniturā: contenti sumus conuictu isto,  
horreolo isto, foculo isto & cellula ista, quam nobis an-  
tecessor TVVS, & ABBA S olim noster emensus est: mo-  
dò auaricia & intuidia secularium hominum procul ab-  
sit. Porrò, duarum quoq; filiarum Pater es, Antistes Re-  
uerendissime; Mariæ videlicet & Marthæ: duarum vi-  
tarum Inspector & Rector: Marthæ quidē comparamus  
Ecclesiam TVA M Metropolitanam LEOPOLIENSEM;  
vbi TIBI in Terris Russiæ, in Archidiœcesi LEMBVR-  
GENSI, in Ecclesiis item Cathedralibus, Parochialibus,  
Prēposituris, Monachiis &c. tanquam in amplissimis  
pascuis copiosissimi greges, innumeræ oves, & animarū  
plurimi cōtus & agmina pascuntur: Et vt Pagani Poetæ  
verbis vtar.

*Mille tuæ Latiis errant in montibus agnæ.*

Non solūm enim sacerdotibus Domini præs, quibus  
particularis de animabus solicitude concredita est; ve-  
rūmetiam laicis; id est popularibus, in medio seculo  
versantibus. Non his tantūm, qui eleuant puras manus  
ad orationem & ad iuge sacrificium agni immaculati;  
sed iis quoq; qui admouent manus ad gladium & ad ara-  
trum, & qui aliquando respiciunt retrò, & sepeliunt  
mortui mortuos suos, qui villas comparant, qui iuga-

26  
boum emunt, qui vxores ducunt, qui ad cenam DOMINI  
venire cunctantur: & nisi vehementius instes, non cu-  
rant & contemnunt. Vitam istam actiuam & laboriosam  
quæ secularis appellatur, cui præs Episcopus & Sacer-  
dos DOMINI magnus, magno Doctorum cōsensu repre-  
sentat Martha illa CHRISTI seruatoris nostri hospita,  
ad culinam & focum relegata, satagens circa frequens  
ministeriū, & conquerens de ocio sororis suæ. Cæterum  
Maria soror Marthæ, quæ sedebat secus pedes Domini,  
auidissimis auribus verbum eius excipiens, vitæ con-  
templatiæ typum gerebat: Ordinis & instituti nostri  
Magistra erat; Ecclesiamq; istam solitariam seu mona-  
sticam significabat: in quam relegantur illi, qui nunciū  
remiserunt mundo & omnibus pompis eius, & quibus  
nihil est prius & antiquius, quam PEDES IESV & salu-  
tare Verbum illius: ideoq; optimam partem elegisse di-  
cuntur, ut potè eam, quæ nunquam ab illis est auferenda:  
huius vitæ speculatricis atq; meditatrixis, nos esse voto  
& iuramento adstrictos cultores, agnoscimus. In hoc lo-  
co, in hac spelunca Beati Petri lapsum suum deflentis; in  
hoc antro Sancti Patris nostri BENEDICTI, mundi va-  
nitates exosi; in hoc nemore, in hoc oratorio habita-  
mus: hîc Te magno desyderio expectamus: hîc Te  
maxima cum læticia primùm videmus, cum synceraq;  
spiritus exultatione salutamus. Te PATREM nostrum re-  
cognoscimus: nosq; & nostra omnia (si modo Mona-  
chus aliquid sui habet) tibi dedimus & commendamus.  
Tibi nostra paupertas, Tibi nostra humilitas, Tibi no-  
stra

stra obedientia, Tibi nostra patientia, nostri mores, nostra  
deniq; vita curæ sit. Magna & multa paternæ cari-  
tatis experimenta dedisti, in Archiepiscopatu Leopoli-  
ensi: prædicat benignitatem Tuam Clerus & omnis or-  
do Sacerdotalis: admiratur virtutes Tuas populus: uni-  
uersus grex fidei Tuę cōmissus, audit vocem Tuam: in-  
sistit vestigiis Tuis. Nominis Tui celebritas & virtutum  
excellentia obtinuit; vt tibi crederetur altera Ecclesia,  
altera filia, & altera congregatio. Venisti in possessionē  
tabernaculorum Iacob: delata est tibi etiam recusanti,  
Abbatia Sieciechouensis: Tibi cessit Conuentus iste  
Monachorum adspirantium ad perfectionem, & militan-  
tium sub Regula ista, & sub legibus à Diuo BENE-  
DICTO præscriptis. Imposita est capiti Tuo duplex in-  
fusa; duæ Prouinciæ Tibi delegatæ sunt; duplex onus  
moliris. Alterius difficultatem iam expertus es: alterius  
verò nunc faciendum est periculum. Venisti in locum  
solitarium, ad paucos Regulæ sanctæ professores; sed ad  
eos, qui perpetuum bellum indixerunt Acheronti: vbi  
ad singulare certamen prouocatur diabolus: vbi tenta-  
tio certior, & acrior, & prolixior: & vbi semper & ex  
professo statur in acie: vbi corona multo sudore quæri-  
tur: vbi victoria glorioſius reportatur: vbi surgitur fa-  
cilius, medicina apponitur efficaciūs, & vulnus ad cica-  
tricem redit citius; alligante Samaritano, & vinum ole-  
umq; infundente. Veni ergo Pater ad filios: veni Abbas  
ad Monachos: veni Tutor ad pupillos. Agnosce Pastor  
gregem tuum: agnosce parens tuam in CHRISTO pro-

lem: agnosce huius domus Dei familiam: agnosce tesseram & insignia Sancti Benedicti: utinamq; recognoscas in nobis, & characterem vitæ Regulæq; illius. Si Pater es, certè debes Paternam caritatem filiis: si germanus, in C H R I S T O P A T E R es, ergo non vitricus: si Pater es, ergo non tyrannus. Quod si nos sumus filii familiâs, ergo sumus in patria potestate; ergo tibi debemus & habemus summum honorem; ergo tibi debemus humilitatem & obedientiam. Si filij sumus, ergo non priuigni: si filii sumus, ergo non mancipia; sed Te optimo iure, & sponte, & meritò diligimus: si iuxta Regulam legislatoris & Patris nostri D O M I N V S & A B B A S, ergo tibi debemus & timorem; sed amore filiali temperatum. Abbas, vt asserunt linguarum periti, in Syriaco sermone Patrem sonat; sed non sine filiali blandimento, non sine puerili grata illa dulciq; balbutie, non sine liberorum liberaliter educatorum modesta fiducia: vt sciamus hanc vocem vnâ cum religiosis & monasticis institutis, de media Syria profectâ esse; vbi sanctus Ephrem Syrus Edessensis, & alii vetustissimi Patres desertam solitariamq; vitam professi sunt. Hanc vocem retinere maluerunt Latina Romanaq; monasteria, quâm vocabulum Græcum. Apud Græcos enim Præfектus monasterio, etiamnùm vocatur Archimandrita. Ille autem quem nostra Ascetera Priorem appellant; Græcis ferè Ἀρχιμανδρίτης dicitur: quibus nominibus etiam Roxolani in suis Mandris vuntur. Nam Abbatem, Græcorum more Archimandritam vocant; & Priorem corrupta voce, Humenem;

vel

29

vel, ut alii dōctiores, Iohannem vocirāt. Ista cōsuetudo & nomenclatura Græcorum, quamvis non abhorret à reipsa, & Scripturæ sacræ ideā in plerisq; locis delineata: tamen Latini Syrum nomen maluerunt. Nam Græcis, Mandra: & Speluncam, & ouile, & Proseuchon seu mansiunculam Eremiticam, significat. Quia Patres antiquissimi & Anachoritæ, qui secesserant à mundo; vitam seueram ac tristem ducebant, in specubus & in sylvestribus latibulis: quemadmodum non solum noui; verūmetiam veteris testamenti Patres factitasse videmus: vt Moysen in desertis Arabiæ; & Heliam in Carmelo Phœnices promontorio, mari imminente; & Ioannem Baptistam in vasta Hierichuntis eremo, iuxta fluenta lordanis; & CHRISTVM Assertorem nostrum, in deserto vexatum à Sathanā; in monte Thabor immutatum, & in monte oliuarum sēpiùs orantem: qui se vulpibus & auibus pauperiorē dixit, nec sibi suppetere locum, vbi pedem ponat, & vbi caput illud longè sacratissimum reclinet; sic etiam non paucos Martyres, & Monachos, & Monastrias: inter quas Mariam Magdalenam, Martham, Sanctam Aphram, Mariam Ægiptiacam, B. Paulum Eremitam, B. Basiliū, & B. Patrem & Antesignanum nostrum Nursinatem illum senem D. Benedictum, qui in horrido illo Italiae loco, cui Sublacui nomen est; in latebra montis, austera & angustam vitam duxit. Hanc vitam disertè ḡraphiceq; descripsit D. Paulus in Epistola sua ad Hebræos, quando ita scribit: Sancti viri circumiuerunt in melotis, in pellibus ca-

prin is

prinisi; egentes, angustiati, afflerti; quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cauernis terræ. Hæc D. Paulus. Ad quæ locum respexit videtur ille, qui primus apud Græcos Monasteria vocavit Mandras; & Abbates Archimandritas, id est speluncæ vel caulæ præfectos. Nam & illos, qui primi Monasteria condebant, videmus imitatos esse; non palatia regum, non atria principum; sed cauerinas & specus, in montibus & petris: vel humana mortaliq; manu excavatos: vel naturaliter exesos, & sine artis ope natos. Inde illa in antiquissimis monasteriis humilitas ædificiorum, angustiæ fenestrarum, demissi postes, depressa laquearia, lumen parcè immisum, loci solitudo, homines facie deiecta, mores verecundi & similes attonitis. Hic sermonis raritas, vocis silentium, nutus pro verbis, vestis atrata & promissa; usui magis, quam elegantiæ subseruiens: in vultu tristis seueritas, corpus aridum, ioci nulli, lacrymæ suspiriaq; crebra, cibus ad naturam non ad voluptatem, liberalis tamen; ita ut filios, non seruos ad mensam dicas accumbere, & gratias agere Deo non esurientes: ut sit temperantia non famelica, & sobrietas non sitibunda. Denique, Monasterium quam proximè accedere debet, ad similitudinem conuictus Eremitici, & veteris illius αναγκασθεω: ut se Monachi, non in domibus Regum viuere meminerint; sed velut antricolas τρωγλοδυτας quosdam, in speluncis agere æuum; & se non mollibus vestiri; sed cilicio, sed pilis camelorum vexatos & attritos esse oportere. Hæc idem dico;

dico; non vt mihi,& fratribus aliquid arrogem, vel de  
monastica humilitate minùs humiliiter cogitem, magis  
eam fortasse verbis iactans, quām factis exprimens; sed  
vt ostendam id, quod proposui. Rectè quidem à Græ-  
cis appellari Archimandritas, claustrō religiosorum pre-  
fectos: est enim ista vox Eremiticæ modestiæ plena, vt  
sæpè recordaremur non in Capitolionos, neque Sardis  
in Regia Crœsi, neq; Romę in domo Neronis aurea, neq;  
in aula superbi Principis habitare; sed velut in lustris &  
in cubilibus animalium; quasi vermes non homines, &  
quasi iumenta domini, soli Deo & virtuti vacare: Istud  
tamen nomen, quantumuis è re natum, Ecclesia sancta  
Romana rariūs usurpat: ( tametsi in legibus, præsertim  
in Codice Iustiniani semel atq; iterum legatur: ) nempè  
vſus religiosorum obtinuit, vt Abbates, id est; Patres pō-  
tiūs dicātur. Sic em̄ illos vocat Regula sacra, & DOMNOS  
& ABBATES. Aliā autem rationem eius rei non video, niſi  
quòd Ecclesia Romana prætulit quodāmodo, caritatem  
humilitati. Humilitas enim sine caritate, Hypocrisis est:  
caritas autē teste Apostolo, non inflatur. Archimandrita  
humilitatis vocabulum est, Abbas verò caritatis, & eius  
quæ ad omnia vtilis est, pietatis. Hoc Tu nomen Reue-  
rendiss. ANTISTES vnà cum affectu Paterno, vnà cū pietate  
& amore induisti. Huic Te Monasterio, huic antro Spi-  
rituali gratia Dei præposuit; in quo homines & iumen-  
ta saluabit DEVS, id est, in quo nobiles & ignobiles,  
generosos & plebeios, pusillos & magnos, doctos & indo-  
ctos, Philosophos & idiotas, Græcos & Barbaros Regu-

la sacra coæquauit: ut non glorietur sapiens in sapientia sua, fortis in fortitudine sua, diues in diuitiis suis. Sed glorietur in eo; qui reuelat magna paruulis, & abscondit ea à sapientibus: qui eligit ea quæ stulta sunt mundi, vt confundat sapientes: & infirma mundi eligit, vt confundat fortia: & ignobilia contemptibiliaq;; vt destruat ea quæ aliquid sunt. Hanc domum Tu Præsul & Abbas volens & propitius ingredere: obedientiæ, continentiæ & omnibus virtutum choris dedicatam: amplectere hanc solitudinem ab Angelis Dei frequentatam: ingredere hanc portam Domini per quam conuersi ingrediuntur. Hæc porta remittit mundo, quæ mundi sunt; & intus illa coercet, quæ semel Deo consecrantur. Hæc porta ita angusta est; vt per eam non possit ingredi tumor & fastus: non potest ingredi Gigas, & Centaurus, & Golias; nisi fiat quasi modò genitus infans, lac concupiscens. Et facilius ingreditur camelus per ansulam acus, quam diues & superbus per hanc ianuam. Per hanc portam foras non exeunt, nisi serui fugitiui, nisi oves infectæ scabiosæq;; nisi verberones & apostatae; qui vapulando nihil profecerunt, qui eiiciuntur è domo Dei, quasi membra contagiosa & insanabilia, nisi periuri & apostatae, nisi sues redeuntes ad volutabrum, & canes reglutientes vomitum, nisi conscientiæ cauterio inustæ: exeunt quidem & boni per ianuam istam: exeunt & filii familiæ; sed nec sæpè, nec iniussu patris, nec frustra temereq;; nec diutiùs absunt, nec longius: verùm eo tantum tempore, cùm sanctæ obedientiæ necessitas poposcerit,

poposcerit, cum hospitalitis iura flagitauerint, cum  
 gloria Dei proximiq; salus & profectus euocauerit, cum  
 pietatis & religionis causa vertitur. Hæc igitur Porta  
 Domini est, iusti intrabunt in eam: detq; D E V S omni-  
 potens; ut nihil intret coinquatum. Et sicut in Scho-  
 la Platonica scriptum esse fertur: Αγεωμέτρητοι μη εσι τω: Ita &  
 hic rectè scribi possit. ο βεβηλωπού μεμιασμένοι μη εσι τω: Pro-  
 cul o procul este prophani. Deo & tibi custodiimus  
 istud castellum, istam visionem pacis. Ipse Dominus  
 confortabat seras portarum eius, & benedixit in ea fili-  
 is & ciuibus eius. Posuitq; terminos illius pacem. Ti-  
 bi à Domino patefacta est, porta hæc; non aliunde ve-  
 nis, per ostium intras, aperuit tibi ostiarus. Ingredere  
 Præful Amplissime; Intra Pater pientissime; Veni orare  
 cum orantibus, flere cum flentibus, gaudere cum gau-  
 dentibus, & humilibus te accommodato. Stabimus in  
 domo Domini, eleuabimus manus nostras in sancta &  
 benedicemus Domino. Agnosce, agnosce nomen Ab-  
 batiale, dulce nomen Paternum. Assuesce vocari pa-  
 rents, ne detesteris accessionem noui tituli. Si ABBAS es,  
 si recipis nomen Syriacum; ergo recipe & Latinum: pa-  
 tiaris te appellari τὸν ψατέρα τὸν φιλότεκνον: incipias audire  
 Pater, quod etiam nomen suggerit credentibus S P I R I -  
 T V S C H R I S T I; ut erumpant in illam vocem fidei &  
 amoris, ABBA PATER: sic D E V M ipsum compellamus, sic  
 & Te compellabimus. At Tu pro Tua innata ingenii  
 bonitate, pro Tua pietate & clementia, pro Tua functi-  
 onem sancti muneris, non aspernaris, neq; asperne-  
 beris

94

Beris inquam huius amicissimi, & naturæ pietatiq[ue] conuenientissimi nominis dulcedinem. Multos inuenire licet in seculo; qui Principes, qui P[ri]ostices, qui Domini salutari volunt: Paternum autem nomen; vel non admittunt, vel cum rubore & fastidio admittunt. Nam illi vehementer errant, & similes omnino videntur esse, patribus adulteris; qui extra leges connubii procreaverunt naturales filios, qui nothi vocantur; ex occulto vetitoq[ue]; congressu satos. Remotis enim arbitris, & audiente nullo, blandiuntur secretò; & fœminis, quarum clandestina consuetudine v[er]i sunt; & earum filiis, quorum se patres esse libenter susurrant, conscientia præter ritæ voluptatis & successu fraudis delectati. At si vero pallam & præsentem populo, patres à spuriis appellantur, erubescunt, euntq[ue]; inficias, ac delirare vel iocari pueros dicunt: præsertim si ipsi pueri deformes, aut fatui fuerint. Quemadmodum de Pane & Mercurio fabulatur Lucianus. Quando enim Deum, formosum cum primis & eloquentem appellat patrem Satyrus, partim homo partim caper, cornibus & vngulis repræsentans hircum, deformitate odorisq[ue]; tædio pœnitendum: illud responsum reportauit à Mercurio οὐ τοσιθι μδι, οὐ φιλοφρονθ ὥτατεα δῆσα μὴ καλέσκε με ακούοντος ἢ τηνδος. Patitur adiri prensariq[ue]; Deus à deformi filio, & barbam sibi quoque velli, modò se patrem non appellet præsentibus & audientibus arbitris. Sic etiam illi Pontifices populo Dei præpositi, cùm dotem Ecclesiæ matris capiunt, cùm fruuntur, cùm subditorum opera exigunt, cum redditus annuos cogunt, in locu-

35

in loculosq; secretò congerunt; benedicunt matri, &  
agnoscunt utiles filios. Ut verò locupletiores facti fu-  
erint, tædet eos atq; pudet nominis Paterni: dedignan-  
tur à sordida paupereq; plebecula parentes appellari,  
imò ne Sacerdotes quidem vocari patiuntur; vehemen-  
terq; peccabis & offendes; nisi Dominos, Clementi-  
ssimos, & Celsitudines, & splendores, & fumos, & me-  
ra tonitrua post vnumquodque verbum crepabis.  
Taliū Episcoporum, vt apud Te liberè filialiterq; lo-  
quar, plena sunt omnia. Sed Tu Reuerendissime An-  
tistes, publicè claraq; voce inauguratus es, & Abbas  
noster solemniter acclamatus. Liberi Tui sumus, ex li-  
bera nati, patrī & matrī: Saræ posteri sumus non  
Agar: iam nos & priuatim filios voca: iam nos benignè  
paternèq; appella. Dabimus equidem operam, Ponti-  
fex optime & ABBAS, multa spiritus lenitate præstans;  
ne nomen Tuum Paternum dehonestemus, ne gratia &  
pietate Tua abutamur, & ne Te nostri vñquam tœdeat  
pœnitētue: omnibus modis enitemur, vt filii sapientes  
lætificant patrem, & ne filii stulti & insipientes, contri-  
stant matrem. Contendemus imitari prudentiam; si nō  
Philosophorum, at certè serpentum, & simplicitatem  
columbarum, & prouidentiam formicarum. Tibi su-  
biiciemur, Tibi obediemus, Te obseruabimus, Tibi  
auscultabimus, genibus tuis adiuvuemur, Te veniam  
poscemos, in hac domo Dei, in hoc phrontisterio,  
ἐν τῷ ἀγνοητῷ τόπῳ De quo Aristophanica illa recte vereq;  
dici possunt: Κυλῶν σοφῶν τοῦτο φεοντισθήσον'

Verè enim hic est schola, & curia, & conuentus animarum sapientum, quæ mundum perosæ, cælum querunt. Te perpetuo venerabimur in hoc Cœnobio, in hac sede & fundo Sethæi quondam glorioſissimi Comitis, in quo loco nunc est terra sancta, ſolum Deo confeſeratum, fundus B.<sup>ea</sup> Virginis matri Theotoco, & myriadi Sanctorum CHRISTI militum dedicatus, ager beatus & frugifer, antiquus patrum & fratrum noſtrorū altor, familię S. BENEDICTI vetus hospitium. Sed libet iſtius clari, celebris atq; vetusti Monasterii ſitum altius repetere: ut te Reuerendissime Antistes, in amorem loci tam sancti, & amœni, ac religiosi alliciamus. Neq; laudabimus inanes ſumos, quemadmodum de Vliffe dicitur, qui Patriæ fuæ πατρὸν luculentiorem eſſe dixit igne alieno; ſed veras & genuinas naturæ dotes iſtius loci breuiter attingemus: quæ partim ad hominū utilitatem; partim ad quietem religionis; partim ad incolementum amœnitatem pertinent. Quando quidem videmus & Beatissimum Patrem Diuum Bernhardum, Monasterii ſui Claræualensis encomium dixisse, illiusq; Hypographen reliquieſſe ad posteros. Ita ergo Monasterii noſtri Topothesiam ordiemur.

Præterabitur hunc de quo diſſerimus locum, fluuius in tota Polonia celeberrimus, qui appellatur multis non minibus à populis circumiacentibus. A primis fontibus ſuis appellatur ab albo colore; Biellawoda: quaſi tu di cas, Albula; quod nomen antiquitus impositum fuiffe Tyberi fluuiο dicitur, uſq; ad tempora ſubmersi in eo.

77

cognominis; casusq; & fatum Principis pereuntis, occasio fuit nouæ æternæq; nomenclaturæ à Tito Liui: sic etiam noster amnis, à principio dictus est, & nunc etiam à plerisq; vocatur, & præsertim à Moscis Biella-woda; ab aqua candida: qualem ferè secum deferre solent amnes magni & violenti, propter obiecti yadi turbulentiam, & limum perpetuò canescentem & albican-tem: de quo sic olim lusimus.

*Non procul hinc, ruit indignatus Vistula pontem,*

*Aduena Sarmaticos exedit amnis agros.*

Tandem vicina Germania imposuit nomen flumini cōuenientissimum, Weyssel. Germanos Poloni secuti sunt vocantq; Wisła, albedinis nomine perpetuò seruato. Weisenim Germanicè album significat, vel ut Frisiī dicunt, Wis & Wissel. Hinc originem traxit, Vistula, & Istu-la. Dicitur etiam hoc flumen Vandalus, à nomine Wan-da, vel potius Węda; quod hamum significat: eò, quòd illi forma seu gratia faciei fuerit, pro allectamento vel irritamento voluptatis, qua inescabantur sicut hamo pisces. Hic fluuius in finibus Silesiæ superioris ortus, per totam Poloniā Minorem, & per finitos populos commodissimus fertur: horreorum quidem exhaustor & exportator annonæ; sed rei numariæ largus importator, & multarum Gentium altor. Alluit hoc loco Monasterium, propè illius hortos leniter & placidè fluens, & augens loci amœnitatem; pisculentus cumprimis & optimis salmonibus abundans, qui marinis omnibus præferuntur: educat quoq; siluros ingentes (stu-

riones

riores vulgo dicuntur) plaustra magnitudine sua im-  
plentes, qui in acetariis afferuati, saporem acquirunt op-  
timum. Nauigia multa & crebra visuntur, quæ secundo  
flumine, remis; aduerso autem velis & ventis aguntur,  
& quæ iucundum deambulanti & meditanti spectaculū  
præbent. Cæperat iam hic fluuius vehementer subruere  
agros adiacentes, & appropinquare Monasterio, mina-  
riq; muris eluuiem & voraginem certam: sed miserati-  
one Diuina, & auxiliari numine Beatæ Dei Genitricis, in  
cuius tutela istud est oratorium; nec non intercessione  
Sancti Benedicti, aliò est auersus alueus, & ille vetus ac  
periculosus, impletur alluuiione leni, sensimq; deseritur:  
quod fieri cæpit velut auspiciis Tuis, eo sanè tempore,  
cùm Tu primūm ABBAS noster declaratus ac renunciatus  
esses. Porrò in ripa fluminis est nemus, irriguum viridi  
quercu multaq; populo consitum, & quando per tem-  
pus licet, auium concentu lætissimum & salubri frondi-  
um inumbratione gratum. Hoc inquam nemus, vel po-  
tiùs hic sacer lucus, à parte septemtrionali Monasterium  
cohonestauit; iucundus humano prospectui locus, &  
amœnissimum visu quercetum; nisi graculorum, quorū  
ibi certo anni tempore magna vis nidulatur, densis agmi-  
nibus vocalissimoq; strepitu, personaret ac concrepa-  
ret. A Meridie & Occidente camporum est mira plani-  
ties, & magna copia læticiaq; segetum; & in pratis ma-  
gna graminis vbertas; & in sylvis non irrita ferarum ve-  
natio; villarum prædiorumq; opportuna propinquitas.  
Oppidum aliquot stadiis à Monasterio distat: à quo &

Mona-

39

Monasterio & Abbatii nomen est. In quo sunt ciues agricolæ, iusti & simplices, rusticis operibus intenti; qui arando & pascendo victum quæritant: fœminæ tristes ac morosæ, pudiciciam seueritate facilè tuentes, & alienæ ab omnibus illecebris viragines: nihil ibi scitum, nihil elegans, nihil molle, voluptatis iritamenta nulla: ita, ut religiosus homo præterire possit sine scandalo. Cœnobium ipsum, in secessu iucundo & quieto, prædoni pabulatoriæ; militi, prorsus deuio & insueto. Conuentus in loco solo & incelebri, septus quâ syluis, quâ pomariis. Oratorium structura vetusta, partim lateritia, partim lapide quadrato. Patrona loci, B. Virgo Mater Maria: post hanc, alii præsides fani sunt; decies mille CHRISTI Milites & Martyres. Monachi viuunt sub legibus & instituto D. BENEDICTI, qui fuit ABBAS Montis CASSINI, vita & miraculis clarissimus. Conditor Cœnobii Setæus, in Regno Poloniæ vir suo seculo potens & Illustris: quem postea iuuerunt aliquot Duces & Reges; qui & opus inchoatum consummauerunt, & censem dotemq; Ecclesiæ fecerunt auctiorem. Instaurator verò Monasterii, Mathias Riciuolensis, ABBAS, ortu quidem humili, vt potè plebeius exiguiq; oppidi alumnus: sed spiritu generoso, nec non erga cultum Divinum Zelo magno; cuius insignis pietatis multa sunt ad posteros monumenta. Iosephus Wereszinski Episcopus Kiiouiensis & Abbas Sieciechouensis prædecis. sor tuus, quamvis Monasterii conditionem reddiderit multò deteriorem, bonaq; eò pertinentia propemodū

F

omnia

40  
omnia prorsus oneravit, obligauit, & vix non alienauit:  
tamen vel in hoc solo dilaudatur à plerisq; quia rationē  
iniit, qua gloria D E I, conditorumq; ac testatorum salu-  
taris intentio , suo procedat ordine , ministeriumq; sa-  
crum in Ecclesia illa non intersileat ; vtq; Monachi , ta-  
meti non lautē, honestē tamē & non sordidē alerentur.  
Et ni ficeret , omnia desolatum ac dissipatum iti certū  
erat. Nerus est rei Ecclesiasticæ, **CONTINUATIO GLO-**  
**RIAE D E I;** à qua omnibus, præsertim D E O dicatis nun-  
quam cessandum est; ne quando dicatur sacerdoti præ-  
sertim religioso , eoq; magis præfecto aliis. **Heus tu-**  
**Vbi** fueras quando me laudabant astra matutina ? **Qua-**  
**re** non interfueristi Angelis & Archangelis, non cessanti-  
bus clamare quotidie **S A N C T V S** ? **Quare** tacebas inter  
illos; cum quibus , & tuas, & adstantium voces admitti  
iubere deprecabaris **D E V M** ? **Quare** cessabas inter eos qui  
nunquam cessant , non canere tantum , sed tremere &  
clamare, non semel atq; iterum, sed quotidie? **Quare** non  
prædicasti nec laudasti eum, quem laudant non tantum  
vulgus Angelorum ( si modò in cœlo aliquid est vulga-  
re ) sed Cherubim quoq; & Seraphim ? **Quem** adorant  
Dominationes, trepidant Potestates? **Quare** non annū-  
ciasti **L A U D E M D O M I N I** de die in diem? **Quare** in te sub-  
stituit cursus **G L O R I A E D E I**, & non traditur per ma-  
nus hominum de generatione in generationem? **Qua-**  
**re** hæc non scribuntur in generatione altera, & popu-  
lus qui creatur & creabitur, te cessatore diminuit ac di-  
minuet cultum **D E I**? **Quare** laudationes **D O M I N I**  
non


41


non loquitur os tuum? Profecto, profecto Reuerendissime Antistes? inexcusabilis est intermissione Diuinæ laudis, inexpurgabile silentium. Hæc autem detrimenta religionis, hoc læsæ Diuinæ Maiestatis crimen, hanc summam summi numinis iniuriam fieri committiq; necesse fuit in hoc oratorio, si denegarentur alimenta seruis Dei: si propter Prælati sumptus inanes, proflus intireret patrimonium Christi: si non suppeditaret huic Monachio corporiq; sacerdotii vnde viueret: si propter militiam & bellicas expeditione, quæ Prælato nostro cordi erant ( quibus alioqui non est res alienior, à vita monastica ) contabuissent fratres fame & frigore. Quæ si accidissent; quod tamen Deus auferat; iam nunc in hisce locis, soli perstreperent graculi, dilapo sacerdotii choro. Sed hic finem faciamus, ubi maxime concaluit oratio, quam Zelus domus Domini fortassis æquo prolixorem fecit; & vereor quidem, ne turgidiorem, quam religiosa modestia patiatur. Habes itaq; Reuerendissime Antistes, breuem descriptionem Monasterii Tui, cui Deus Diuina Providentia præfecit. Habes situm illius & commoditatem. Habes statum eius, in quo fuit cum adhuc reincolumi floreret. Habes & eam qua nunc est, conditionem. Habes præterea huius Syrae vocis ABBA: id est, Nominis Paterni commendationem; in qua maior pars nostræ orationis absumpta est. Ingredere ergo quod bonum, fœlix atq; faustum sit, & præsentem loci fortunam æqui boniqt; consule. Accingere & excita Te ad defendendam Ecclesiam Dei, & ad asserendum resti-

tuendumq; C H R I S T O; & Sancto B E N E D I C T O suum  
patrimonium. Vide quomodo posuerunt Sanctuarium  
D O M I N I in pomorum custodiam. Nihil est integrum  
nihilq; liberum, nisi hortus iste quem vides, pomis py-  
risq; consitus: omnia possedit mundus, omnia cesserunt  
in usum seculi. Veni ad liberandum nos : recupera hæ-  
reditatem D O M I N I : posside vineam D E I S A B B A O T H :  
vt aliquando rebus in integrum restitutis & ad pristinum  
florem reuocatis , h̄ic respiremus : h̄ic habitemus: h̄ic  
soli Deo vacemus & feriemur: h̄ic vitæ curriculum per-  
agamus: hinc deniq; ad coronam percipiendam feli-  
citer euolemus. Tu nobis præfis, Tu coérceas delin-  
quentes, Tu bonis frugiq; Monachis, in Spiritu sancto  
blandiaris ac dicas. Venite filij audite me, timorem Do-  
mini docebo vos. Et ad D E V M aliquando exclames.  
Narrabo nomen tuum fratribus meis. Nosq; filii obe-  
dientię, respondeamus. Loquere D O M I N E, quia audi-  
unt serui T U I. Tu nobis præcipe quod bonum est,  
in conspectu D O M I N I. Cui soli, qui est Pater ac D O M I-  
NVS Cœli & terræ: qui est Pater lumen: qui est Pa-  
ter D O M I N I N O S T R I I E S V C H R I S T I: qui est PA-  
TER N O S T E R, cui dicimus: ABBA PATER;  
sit laus, honor, & imperium, in  
secula seculorum

A M E N.







2784

